Asseris, insanum constat habere caput. *Et magicis nullam, rebus inesse putat.*

BIBLIOTHECA·BODLEIANA·

Idiotica vita prudentissima.

ABdita fallacis laudas ænigmata Sphyngis?
Davus es: ille sapit, qui sapit ipse sibi.
Scire tuum nihil est? sapis altum, dum fugis altum:
Doctus habet libros, ast idiota libras.
Πρωτοσοφως Socrates dum scit nihil, omnia novit:
Dum scit Aristoteles, decidit ante diem.
Integra Sparta manet, peregrinas dum fugit artes:
Nec sine iure: salus provida serpit humi.
Percupis insigni Diademate tempora cingi?
Magnanimo, tumidus cum Phaetonte, rues.
Taurus, Centaurus, Cancer, Leo, Scorpion, Arcus,
Sunt semper summis, horrida turba, viris.
Dum viburna vigent, aspectu pulchra cupressus,
Horrenda subito fulmine læsa perit.
Es ne Monarcha potens? ex te respublica pendet:
Te vivo viuit: teque cadente cadit.
Corpus erit corpus, digito vel pollice dempto:
Deme caput: corpus putre cadaver erit.

Sic sapiens est insipiens, Idiota profundus,
Hic valet: ille malum quo maceratur, habet.

Magistratuum prorogatio periculosa reipublicæ.

TEmpora temporibus succedunt, annibus annes,
Flos flori, platanus platano, iuvenile senili:
Esto magistratus successio, prætor ab anno
Pendeat: hoc remanente, stet is: migrante, remigret.
Claudius & Marius, me vel reticente, loquuntur:
Clamant, se strages Romæ clademque tulisse:
Hic Consul quoties? quoties fuit ille Decemvir?
Continuum regimen fons est, & origo furentis
Invidiæ, cuius livent rubigine dentes.
Ad mortem rapitur latro, punitur adulter,
Esto magistratus latro, sit fur, sit adulter,
Impunè peccat, floret, laudatur, amatur.

Ergo Magistratus, qui toto rexerit anno
Decedat, valeat, dicat sat prata bibisse.